DE ERYSIPELATE RECENS NATORUM PRAEMISSIS NONNULLIS OBSERVATIONIBUS CIRCA HUNC MORBUM INSTITUTIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

AUGUSTO AC POTENTISSIMO

PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO FRIDERICO

MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTA BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.

CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS IURIBUS ET PRIVILEGIIS

IN LITERARUM UNIVERSITATE IENENSI

RITE OBTINENDIS

DIE XXV M. IULII A. MDCCCXLII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROL. FRIDER. ADOLPH. STURM

KOESTRITZIENSIS.

IENAE

TYPIS SCHLOTTERI.

Quas infra proferam Erysipelatis recens natorum observationes propterea praemittendas esse putavi, quod iis nitantur ea, quae de pathologia et therapia hujus morbi dicturus sum. Harum vero observationum prima in annalibus lechodochii Magniducalis Jenensis continetur, tres sequentes a me ipso in lechodochio Jenensi factae sunt, reliquas autem viro Excellentissimo *Eduardo Martino* debeo, qui eas mecum communicavit. Itaque hoc dum specimen emitto, huic Viro ob benevolentiam, qua in his aliisque causis fructus sum, gratiam refero quam maximam.

I.

Pars historica

continens observationes de Erysipelate recens natorum factae.

Observatio I.

Die Septembris XXIX a. MDCCCXXXIX peperit Dorothea K. puellam maturam, vivam. Qui quidem partus non praeter consuetudinem procedebat, nisi quod liquor amnii calidissimus et foetidus proflueret. In infante statim post partum caeruleus color isque super totam cutim extensus apparebat, et artus languidi et fessi demissi erant. Tum, balneo calido adhibito, vis vitalis paulo accrescebat, ita ut tranquillus somnus sequeretur, color caeruleus prorsus paene evanesceret. Quamvis infans ad mammam bibere inciperet, tamen non sine molestia videbatur lac sugere; respiratio quoque anxia et crebrior, quamquam sine tussi, procedebat. Usque ad vesperam d. XXX Sept. quater meconium et quinquies urinam emittebat. Sed d. I Octobr. facies ejus flavo quodam colore obducta videbatur, quumque mammam saepius praebitam repudiaret, aliquantum lactis ei instillabatur, quod tamen statim evomit. Vi vitali rursus minuta, continuo tran-

quillus jacebat, capite languide demisso dormiens. Huc accedebat, quod in dorso et pedibus rigor singularis appareret et maxilla inferior ad superiorem affixa esset, et os perpetuo magna spumae copia circumdaret. Praecipiebantur balnea furfurea, et parvae Calomelanos doses infanti ingerebantur. Alvus semel exonerata, sequenti die ter soluta est, atque etiam tunc mammam aspernabatur viresque vel magis deficiebant. Colore faciei magis flavo reddito, cutis in toto corpore mirum in modum calefiebat. Balneo primo d. II Octobr. parato, cutis omnibus partibus caeruleum accipiebat colorem, qui tamen per breve tantum tempus durabat, quo exacto iterum pallor rediit. Die III Octobr. respiratio frequentior, anxia et quasi sibilans erat, color luridus nonnullis locis in caeruleum transiebat et circa oculos venae per teneram cutem conspicuae erant. Eodem die alvo ter materia quaedam flava et quater urina emittebatur. Postridie ejus diei mane (die quinto post partum) animadvertebatur, sinistram regionem inguinalem, superiorem partem sinistri femoris, neque minus sinistrum labium majus pudendi intumuisse, colore praeditas violaceo et rubro. Hae partes, in his inprimis sinistrum femur, durissimae et calidissimae tactu erant, in eoque rubor et tumor marginibus subcaeruleis circumeuntibus accurate a partibus morbo non affectis distincti erant. Tum alvus, quae nondum soluta erat, clysmate dato, exonerabatur. Sub vesperam respiratio stertorosa, inaequalis et difficilis erat, spumosa pituita circumdabat os et eadem vespera, hora decima, puella tranquillime, mutatione vix animadversa, obiit.

Sectione d. VI Octobr. hora meridiana facta, mirum erat, quanta copia et quam singulari modo super exteram corporis superficiem maculae mortuis propriae,

diffusae erant. Venae organorum sensuum et cerebri nigro sanguine impletae erant, substantia cerebri mollissima. Thorace a dextra parte patefacto, pus crassum effluebat; pleurae costalis et pulmonalis vasa capillaria sanguine repleta erant, in pulmonalibus, praesertim in incisuris interlobularibus, materies exsudata plastica conspicua erat; substantia pulmonis sanguine referta, aëre paullo impleta, neque hepatisata. Cavum pleurae sinistrae partis aliquantulum humoris purulenti continebat et pulmonis substantia talis erat, qualis dextrae. Membranae mucosae tracheae vasa sanguine repleta erant, item pericardii dextrae partis. In dextro cordis ventriculo, supra modum amplo, concrementa fibrosa reperiebantur. Peritonaeum super hepate minus pellucidum erat, quam esse solet, hepar sanguinolentum, renes satis extensi, intestina aëre impleta. In externa sinistri ossis ilium parte animadvertebatur abscessus seclusus, pus paullulum ad sinistram coxae articulationem inclinatum erat, ubi os asperam planitiem praebebat.

Observatio II.

In puella Fridericae W., nata die XXIII Decembris a. MDCCCXLI, reperiebatur die XXVIII Decembr. color quidam cutis satis flavus, quamquam valetudo infantis ceteroquin bona erat. Die XXIX Decembr. mater ejus, cum phlebitide et peritonitide laborasset puerperali, diem supremum obiit, quam ob rem infans inde ab eo tempore artificioso modo nutrienda erat. Die XXXI Decembr., octavo post partum die, alvus non justo ordine et consuetudine exonerabatur et tangendo ventre dolores effici videbantur et cutis in eo loco rubra et calida erat. Hirudinibus duabus scrobi-

culo cordis impositis, pro usu interno emulsio papaverina praescripta est. Quamquam autem sub vesperam ejusdem diei totus venter usque ad genitalia rubicundus erat, et cutis valde tumida, tamen infans tranquille dormiebat. Sequenti die Erysipelas in nates extendebatur et infans, calore paullulum remisso, aliquantum cibi exceperat. Partibus inflammatis xylinum impositum est. Die II Januarii Erysipelas usque ad genua extensum erat, umbilicus quidem attritus, sed non purulentus. Alvi excretiones flavae, interdum ravae et frequentes erant. Quare Calomel propinabatur. Die III Januar. loca rubra, tumida, sensilia in medio digito et in palma sinistrae, quemadmodum in dorso dextrae manus apparebant, dum Erysipelas in reliquis locis, quae dixi, ventris, et inferiorum extremitatum non amplius sese extendit. Infans, per diem inquieta, continuo voce flebili clamabat. Sequente die tumor in genitalibus ortus remittebatur, sed rubor non cedebat. Etiam in externo dextri pedis malleolo similis rubra pars apparebat atque in manibus. Die V Januar. mane convulsiones accedebant, pupillae extensae erant et respiratio anxia; tum, quamvis in tergo sinapismus locaretur, tamen jam post meridiem decessit.

Sectione facta die VI Januar. meridie mutationes praecipuae hae erant: Substantia cerebri mollissima erat; pia mater gilvo sero impleta; cor aliquantum nigrescentis sanguinis continebat. Hepar magnum, colore austero, in porta hepatis purulenta materia erat. Vena umbilicalis colorem viridem et flavum induebat, in arteriis umbilicalibus pus crassum reperiebatur. Lien plastica lympha opertus. Tumor in palma rubicundus, quem diximus, pus crassum continebat.

Observatio III.

Puella Henriettae G. nata die V Januarii a MDCCCXLII, usque ad diem XIII ejusdem mensis bona utebatur valetudine. Etiam in hac infante gilvus ille cutis color animadvertebatur. Die XIII Jan. prima symptomata ophthalmiae recens natorum se ostenderunt. Die XVI Jan. puella non amplius ex mammis matris bibebat, quae mammis excoriatis valde laborabat et statim post editam infantem vehementi sanguinis profluvio ex parva dextri labii pudendi majoris rima graviter affecta erat. Infans interdum vehementer clamare, digitos replicare, brachia manusque corpori apprimere. Quod dum fiebat, corpus rigidum et, spuma os tegente, cutis nunc ardens, nunc frigida erat, convulsionibus autem remissis, perpetuo tenera voce gemebat. Ceterum bis alvum, ut consuetudo fert, habuerat, et rubore palpebrarum celerrime disperso, secretio oculorum minuta erat. Praescriptum est clysma Chamomillarum cum oleo, sinapismus in tergo collocandus et Calomel (ter singulis diebus Gr. $\frac{1}{4}$). Sequenti nocte infans semel e mammis bibit et bis pituitosas, subvirides copias emisit. Quum paullo dormiisset, iterum expergefacta semper sonos illos flebiles edebat, convulsionibus tamen rarius redeuntibus. Die XII post partum mane circum umbilicum, in ventre, ad genitalia et femora rubor erysipelatosus apparebat, calor cutis iis in locis auctus erat, quibus tactis infans dolorem sentire videbatur. Altera hirudo in sinistro praecordio, altera supra umbilicum collocatae: quo facto tanta sanguinis vis emanabat, ut artificiose sedari deberet. Sequenti die infans diu multumque dormivit et rubore prorsus paene disperso, cutis pallida et subfrigida erat. Die XIX Januar. iterum vestigia Erysipelatis in natibus et pedi-

bus deprehendebantur. Jam vero tantum xylinum his partibus imponi poterat, Calomelane propter frequentes vomitus non adhibendo. Die XX Jan. cutis in suris dura, tumida, ad dolores excitandos proclivis et rubicunda erat, ventre tamen non jam tam graviter affecto. In umbilico et regione circumjacente panniculus unguento mercuriali oblitus, positus est. Tum, quamquam rubor pedum sensim cedebat, tamen in dorso utriusque pedis oedema remanebat, quod minori modo usque ad media femora eaque inferiora patebat; mox id quoque evanescebat et parvo abscessu, qui in calce dextri pedis ortus erat, die XXV Januar. aperto, et satis magna puris copia inde emissa, infans die XXVI Jan. dimissa est, et ophthalmia iterum apparente prorsus revalescebat, neque quidquam noxii huc usque videbamus, quod morbus ille efficeret.

Observatio IV.

Friderica P., triginta quatuor annos nata, quae antea universali syphilitide laboraverat, die XXIX Januarii a. MDCCCXLII puellam vivam eamque maturam peperit. Primis post partum diebus infans bona valetudine utebatur, bibebat ex papillis et alvum justam habebat. Sed die nono alvus viridis fiebat, quo facto infans, pedibus ad corpus usque sublatis, mammam repudiabat. Vespera ejusdem diei rubor violaceus in genitalibus, in ventre et in femoribus cernebatur, calor corporis in modum usitatum egressus erat, neque eodem die inde ab horis matutinis alvus procedebat. Tum hirudine ventri apposita, parvae doses Calomelanos dabantur. Die sequenti color cutis in ventre magis subfuscus, in genitalibus autem et in perinaeo ru-

bicundus apparebat. In femoribus tela cellulosa sub cute indurata et in ore, nec vero in ano, aphthae conspicuae erant. Alvi aliquoties processerant, neque extra consuetudinem. Tum vel secunda hirudine apposita, parvae doses Calomelanos datae. Die IX Februarii, igitur die morbi tertio, infans perpetuo gemitus ducebat. Loca antea inflammata nunc fusca et tela cellulosa subcutanea jam indurata. Tantum ventris integumenta purpureum acceperant colorem et pellucida erant, venter inflatus et sicubi tactus erat, dolore affectus. Vultus colorem subflavum praebebat et valde collapsus erat. Quamvis tertia etiam hirudo apposita esset, tamen jam sub vesperam convulsiones in musculis oris exstitere, ita ut hora X infans decederet.

Sectio duodequadragesima post mortem hora instituta erat. In secandis locis, quae dixi, induratis, aliisque, veluti costarum spuriarum regione, materies subfusca, gelatinae instar, et serum sanguinolentum effusum erat. Cerebri substantia mollissima erat, pallida, sanguine carens. Pulmo sinister compressus, sanguine carens, pallidus, aëre impletus. Pericardium continebat circiter unam vel duas uncias liquoris subrubicundi. In vestibulis, arteria pulmonali et aorta, concrementa fibrosa reperta erant inter sese conjuncta et parietibus adhaerentia. Margo valvularum in utraque cordis parte parvis iisque rubris pustulis circumdata erat. Ambae membranae internae aortae thoracicae violaceis maculis praeditae et perfragiles erant, ut, quum illa extraheretur, multae orirentur rimae transversae. Hepar pro corporis magnitudine perparvum, vesica fellea rubra simulque gilva bile impleta erat. In externa stomachi superficie multae maculae nigricantes pelluxere, quo aperto, membranam mucosam, quae quasi in pul-

tem multisque locis in fuscam materiem mutata esset, destringere licuit. In reliquo tractu intestinorum item multae eaeque rubicundae maculae ostendebantur. Vasa fundi uteri sanguine impleta erant, peritonaei aliqua tantum ex parte. Arteriae umbilicales usque ad introitum in arterias hypogastricas pure impletae erant, quae pariter atque aorta facilis erat ad rimas in se excitandas. Vena umbilicalis pus non continebat, nec in vasibus abdominalibus concrementa fibrosa aderant. Vena cava inferior subfusco colore erat.

Observatio V.

Maria H. puella bene nutrita erat, sex menses nata; ex parentibus infirmis orta, non uberibus matris, sed victu artificioso usa est. A die XXI Martis inde puella febri laborabat et tussi, ad quam die XXIV Martis saepe spiritus interclusus et vomitus glutinosae pituitae accedebant. Infans multum clamabat, sed voce rauca; alvus viridis erat. Nasus porriginosus et obstructus proximis hebdomatibus multum sanguinis effuderat, et postquam die XXVI Mart. pituita purulenta et sanguinolenta ex eo emanabat et miliaria in cervice apparebant, die XXIX Mart. aphthae accessere. Die XXX Mart. rubor et tumor cutis, holoserico similis, in sinistris natibus et sinistro labio pudendi majore se ostendebat. Tussis deinde lenior fiebat, alvi gilvae, pituitosae. Cum Erysipelas super totum ventrem effusum esset, in sinistris natibus, sinistrum labium pudendi versus abscessus patefactus est, qui copiam humoris stercorarii haud exiguam emisit. Sequentibus diebus tela cellulosa amplo circuitu mortificata est et inter musculos ampla cava et intervalla exorta erant. Deinde

Erysipelas finibus includebatur et grave vulnus, balsamo Arcaei adhibito, usque ad diem XV Maji sanabatur, pectoris tamen affectione in dies crescente infans die XXIII Maji mortua est.

Explorato per sectionem corpore abscessus haud exigua magnitudine super sinistra coxa repertus est nec minus purulenta, partim evacuata hepatisatio lobularis pulmonum et splenis, et gastromalacia.

Observatio VI.

Eduardus U., natus die XXIII April. a. MDCCCXXXIX, qui quidem, cum parentes infirma valetudine uterentur, mammis matris non alebatur. Inde a die XXII Maji tussi catarrhali et tumore duro et molesto in sinistro latere laborabat. Huc die III Junii vomitus accedebat. Scrotum rubrum et tumidum erat, affines partes ad dolorem pronae et cum iis symptomatibus excitatio corporis et diarrhoea viridis conjunctae erant. Xylinum saccharo fumata impositum erat. Die Junii VI rubor et tumor in ventrem se extendebat et die VIII ad dextrum latus sese convertebat simulque ad ambo femora, non desinente agitatione et vomitu. Die Junii XIII parvus abscessus in sinistra regione inguinali patefactus est, ex quo multum puris effundebatur, quo facto sensim sanatio consecuta est.

Observatio VII.

Augusta K., puella infirmis orta parentibus, tres hebdomates nata, a matre ipsa uberibus alebatur; uterini ejus omnes scrophuloso exanthemate laborabant. Die Augusti XIX a. MDCCCXLI, ut praetendebant, refrigerationis causa, virides alvi excretiones apparebant et in-

fans valde jactabatur. Die Augusti XXI aestus mirificus in ore efflagrabat et aphthas in eo videre licebat. Vespera ejusdem diei infans perpetuo clamitabat et saepissime alvum viridem habebat. Die Augusti XXII hora temporis matutini quinta totus pes dexter quasi Erysipelate laborans reperiebatur; sub vesperam idem pes et genitalia satis indurata erant, umbilicus aliquantum promotus, splendens, lingua plena aphtharum, alvus gilva apparebat; accedebat, quod calor corporis majorem gradum nancisceret; infans nunc dormiebat, nunc magna voce clamabat. Sinistrum pedem semper supplodebat, os movebat velut manducans et quasi vomitura. Noctem ejusdem diei tranquillius egebat, et etiam per diem quievit magis quam antea. Die XXV Augusti Erysipelas etiam in pedem sinistrum se extenderat et pes ejus quoque lateris aliquantum intumuerat et ardescebat. Die XXVI aphthis dispersis infans paulo tranquillior facta est. Die XXVII Aug. Erysipelas in pede remissum, pectus versus diffusum erat, infans tamen rursus agitari jactarique incipiebat, sed magis justo ordine alvum edidit. Novis aphthis exortis Erysipelas inde a pectore brachia versus extensum est, donec digitos summos aggrederetur. Die Septembris IV nodi duri in humero, regione sacra et in pede dextro, deinde in collo quoque et in brachiis conspiciebantur. Usque ad diem XIX Sept. septem majores et minores abscessus patefacti sunt, quorum duo in articulatione pedis, duo in cubitu exstitere. Usque ad medium Octobrem sensim prorsus infans sanata erat, proveniente crusta lactea, quae per sex menses permanebat.

Observatio VIII.

In Emilia B. puella, tres menses nata, eademque ex infirmis parentibus orta, die Novembris II a. MDCCCXLI

symptomata arachnitidis exstitere, quae hirudine fronti et sinapismo impositis resedebant. Die Nov. V tumor erysipelaticus pedum, at minore rubore praeditus, animadvertebatur. Die Nov. VIII vesicae in dorso pedis apparuere, quae sequenti die dehiscebant. Cutis subposita alba et gangraenosa et paulatim, quum unguentum Elemi impositum esset, detrusa est, quo facto sanatio secuta est. Die Nov. XII etiam in sinistrae manus dorso rubor mirabilis reperiebatur et tumor cutis oedematosus, qui tamen sensim evanescebat. Contra usque ad diem Nov. XVIII in externa sinistri femoris parte abscessus magnus sub cute exstabat, quo patefacto quinque vel sex puris unciae emanabant. Alvi justo ordine procedebant et infans paulatim reconvalescebat.

Observatio IX.

In Carolo H. puero, octo dies nato, domo scrophulosa orto, die Februarii III a. MDCCCXLII virides alvi excretiones, ardor, tumor et rubor abdominis et dextrae surae animadvertebantur. Adhibitis Calomelane et emulsione oleosa quies et somnus satis diuturnus efficiebatur. Die Febr. V. scrotum et cutis penis admodum erysipelate intumuescebat, qui tamen tumor die Febr. VII remittebat. Tum rubore paulatim evanescente umbilicus tantum pergebat humorem edere, donec die Martis X in sternutando tantum puris, quantum fortasse cochlearium capit, ex eo emanabat, quo facto etiam huic infanti bona valetudo eveniebat.

II.

Pars pathologico-therapeutica.

§. 1.

Erysipelas recens natorum iis morbis adnumerandum est, qui rarius apud nos inveniuntur. Etenim ipse in lechodochio Ienensi occasione annalium inspiciendorum mihi oblata, non nisi quatuor illa, quae supra commemoravi, exempla, eaque inter infantes fere ducentos, reperi, quorum quidem tres eaque posteriora ipse diligenter accurateque consideranda curavi. Nec minus raro illam ipsam Erysipelatis rationem aliis in lechodochiis apparere reperisse mihi videor; Berolini enim, inter duo millia quinquaginta et sex infantium recens natorum non nisi duo morbo isto affecti esse perhibentur [1]). At vero alias haud raro inveniri dicitur, verbi causa, Petropolí, ut ex *Doeppii* [2]) et in America, ut ex *William Dewees* [3]) commentariis colligere licet. Hic autem morbus, quamvis plerumque infantes per primas sex post partum hebdomates invadit, tamen longiore etiam tempore interjecto locum habet, quamquam, quatenus et ad quod usque temporis momentum prodire possit, certe accurateque statui vix potest. Notandum tamen est, inter illa, quae jam diximus, exempla, morbum illum sexies intra primas

---

1) *Neue Zeitschrift für Geburtskunde, Bd.* V. *S. 288.*

2) *Medicinisch-chirurgische Zeitung, 1835, Bd.* III. *S. 267.*

2) *Ebendaselbst, 1828, Bd.* II, *S. 314.*

hebdomates, nec nisi ter, temporis spatio longiore interjecto, apparuisse, nec tum vero sexto post partum mense.

§. 2.

Ipsius autem morbi *ortus et decursus* fere hi sunt: Infantes commoventur, perturbantur, clamitant, haud raro pedibus ventri adversis, digitis inflexis, brachiis corpori adpressis, mammam nutricis denegant, aut certe, si non denegant, exiguos tamen post haustus rursus clamitant, neque bibentes ut assolent, et haud raro iterum ac saepius evomentes. Huc accedit, quod intestinorum egestio, et, ut cum *Plinio* dicamus, exinanitio non justo et solito modo procedit; aut enim adstricta et obstructa, aut soluta alvo eaque ita procedente, ut excrementa colorem habeant subviridem et odorem male olentem. Nec raro aphthae in oris anique superficie apparent, lingua sordida arescit, cutis cum omnino, tum iis maxime in locis, in quibus Erysipelas erumpit, est flagrans. Praeterea tota corporis superficies crebro colorem habet subflavum, et urina, quae, minore copia reddita, multas easque flavas partes continet, fascias tingit. In quo tamen secundum eas, quas in Jenensi lechodochio instituimus observationes, subflavum illum colorem, quem, paucis exceptis, in omnibus liberis animadverteris, justum esse arbitremur, nec vero eum cum Erysipelate arctius cohaerere statuamus. — Haec autem universae valetudinis ratio ubi per incertum temporis spatium, ab horis nonnullis usque ad dies aliquot, perduravit, loco aliquo cutis maculam videris nitidam, fulvam, quae neque supereminet corporis superficiem, neque duritie est magna. Is autem rubor, etsi plerumque primum aut in abdomine apparet, aut

in genitalibus, tamen non semper accidit id, quod *Heyfelderus* [1]) affirmat, se Erysipelas recens natorum inprimis in priore colli parte, in inferioribus faciei partibus aut in regione supraclaviculari in nosocomiis Lutetiae Parisiorum observasse, contra in genitalibus id nunquam se vidisse ortum. Et vero nos etiam vidimus id oriens in dextro crure Augustae K. (VII) et in pedis dorso Emiliae B. (VIII). Hinc apparet, dubium esse, num vera sit *Schoenleinii* [2]) sententia, dicentis, eum morbum *semper* sedem habere in cute abdominis, proficisci e regione umbilici et diffundi supra abdominis partem inferiorem usque ad genitalia. — Temperatura loci rubri brevi tempore augetur, cutis obdurescit, tumescit, ita ut infantes cute adtacta doloribus affici videantur. Color jam magis magisque rubescit et nonnumquam livescit. Facta autem compressione rubor evanescit, desinente vero impressione statim redit. Jam vero ubi ab eo loco, qui primus erat correptus, diffusum est Erysipelas in partes proxime sitas, nonnumquam tum demum finem habet, ubi per totum fere corpus migraverit. Sic, ut *Buttmannus* narrat [3]), Erysipelas sensim a genis usque ad genua diffusum erat. Nec alia ratio erat morbi Augustae K. (VII), tum enim paulatim omnes fere corporis partes corripuerat. Quod quotiescunque accidit, dici solet Erysipelas migrans, vagans, serpens, quid, quod *Tottius* contendit, genus quoddam esse ab Erysipelate recens natorum diversum [4]). Potest tamen etiam, sicuti Caroli H. (IX) exemplum demonstrat, eodem tempo-

1) *Medicinisch chirurgische Zeitung, 1826, Bd.* I. *S. 12.*
2) *Allgemeine und specielle Tathologie, und Sherapie, Bd.* II.
3) *Neue Zeitschrift für Geburtskunde, 1840, S. 472.*
4) *Siebold's Journal für Geburtshülfe u. s. w. Bd.* XIII, *H. 2.*

ris momento in pluribus partibus exsistere. Nonnumquam secundo vel tertio die pustulae in locis rubicundis nascuntur, refertae, ut vult *Fuchsius* [1]), turbido quodam et, ut ita dicam, kalice reagente humore, quibus diruptis aut crustae gignuntur aut ulcera, dicunturque etiam, morbo male procedente, in sphacelum verti, quo interdum digiti aut genitalia delentur [2]). Imo etiam animadversum esse dicunt, liberos maculis lividis, pustulis et ipsa gangraena affectos, natos esse [3]).

§. 3.

Exitus morbi hi sunt:

1) *Valetudo confirmata.* Quae num re vera fiat, intelligitur, si diebus quatuor vel quinque circumactis epidermis in locis illis rubore obductis magnis lamellis desquamatur. Aegri etiam tum convalescunt, si alvum antea adstrictum sedes biliosae eaeque frequentes sequuntur; id quod nonnunquam fit inter crises febris et inter orientes in tergo natibusque vel etiam in aliis corporis partibus furunculos. Nos quidem numquam vidimus morbo hoc modo procedente valetudinem esse restitutam. Haud raro repetitur hic morbus.

2) *Alii morbi.* Sunt, qui putent, exitum Erysipelatis recens natorum suppuratione factum perraro animadverti aut certe semper in extremitatibus locum

---

1) *Die krankhaften Veränderungen der Haut und ihrer Anhänge in nosologischer und therapeutischer Beziehung dargestellt. Göttingen, 1841. Abtheilung* III, *S. 1011.*

2) *Practische Darstellung der Hautkrankheiten nach dem Syſtem des Dr. William von Thomas Bateman. Herausgegeben von Ernst Blasius. Leipzig, 1835.*

3) Ibid.

habere. Cui tamen rei repugnant, quae nos experientia edocti sumus, cum suppurationem, inter novem illa exempla, quae protulimus, sexies videremus ortam eamque non modo in extremitatibus, sed etiam iterum ac saepius in trunco. Quod denique gangraenam attinet, notandum est, eam in partibus Erysipelate affectis longe rariorem esse, quam suppurationem, nec minus raro metastases fiunt ad organa interna.

3) Tertio denique loco commemoranda est *mors*, quae vel impetu et violentia febris afferri dicitur, vel adjunctis morbo, qui antea erat, affectionibus nervosis, in his convulsionibus et trismo; praeterea potest in causa esse suppuratio et gangraena, quae vires infantis consumant; vel denique orta Peritonitis.

§ 4.

Quum pristini temporis medici Erysipelas recens natorum et indurationem telae cellulosae saepius confudissent, consentaneum est, utriusque morbi discrimina h. e. *diagnosin* constituere. Ac primum quidem posteriorem morbum quod attinet, temperatura cutis non modo non aucta, sed diminuta est; color partium correptarum jam non rubicundus est, sed cerinus, nonnunquam etiam lividus, cutis ipsa pellucens; valetudo, in universum turbata quidem, nec tamen cum febri conjuncta est; vox singulari quadam et vix describenda ratione mutari dicitur; musculi mirum in modum duri sunt rigidique.

§. 5.

Diversissimae exstant medicorum sententiae cum omnino de *causis*, ex quibus pendeat morbi illius origo, tum vero de remotioribus, quas quidem paulo accuratius diligentiusque animo perpendamus. Et sunt qui-

dem *Osiander*[1], *Fleischius*, *Jahnius*[2], *Wendtius*[3], *Heimius*[4] et *Fuchsius*, qui constitutionem singularem eamque epidemicam multum conferre arbitrantur ad originem Erysipelatis recens natorum. Cui sententiae repugnat *Henkius*[5], qui sub illa conditione eum morbum magis divulgari et epidemicum fore, dicit; in nosocomiis et lechodochiis magis aërem loci domiciliique difficultatibus perniciosum in causa esse, quam singularem aëris constitutionem. At certum est, propriam quandam aëris constitutionem multum valere ad originem hujuscemodi Erysipelatis. Exempla quinque, quae supra commemoravimus posteriora, observata sunt in praxi privata nec vero in lechodochio, inciduntque in annum MDCCCXXXIX usque ad annum MDCCCXLII. Quantumvis autem nos concedamus, in institutis illis miasmata plurimum valere ad provocandum morbum, tamen, cum idem morbus eodem tempore intra privatas parietes conspicuus sit, eo perducamus necesse est, ut epidemicam esse aëris constitutionem statuamus, qua teneatur nonnumquam origo. Hi morbi, quos singulos commemoravimus, incidebant in menses anni MDCCCXXXIX Martii, Junii, Septembris, anni MDCCCXLI in m. Augusti, Novembris, Decembris et anni MDCCCXLII in duos primos menses. Hinc apparet, plurimos fuisse ultimis mensibus anni MDCCCXLI

---

1) *Hufeland's Journal der practischen Heilkunde. B. X, St.* 4, *S.* 150.

2) *Neues System der Kinderkrankheiten. Rudolstadt*, 1807. *S.* 157.

3) *Die Kinderkrankheiten systematisch dargestellt. Breslau und Leipzig*, 1826. *S.* 101.

4) *Vermischte medicinische Schriften. Leipzig*, 1836. *S.* 191.

5) *Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Kinderkrankheiten. Frankfurt a. M.*, 1818. *B. I, S.* 182.

et primis anni MDCCCXLII atque eo ipso tempore persaepe vel in adultis animadvertimus Erysipelas, quod, saepe vulneribus adjunctum levibus, maligna ratione progrediebatur, simulque cum organa interna, tum inprimis respirationis inflammata fuisse. Ex *Cari*, *Jörgii* [1]), *Fleischii*, *Storchii*, *Girtanneri* et *Fuchsii* sententiis mala diaeta, verbi causa, lac nimis pingue aut nimia copia potulentorum, sanguinem animumque excitantium, corruptum, originem morbi adjuvare perhibentur. Quas inter causas *Wendtius*, *Fuchsius* et *Kortumius* numerant etiam evacuationem meconii neglectam. Praeterea *Wendtius* exanthemata chronica et dyscrasias matris conducere in illius morbi originem contendit. Ex *Koppii* [2]) sententia causae hae sunt: Dyscrasia syphilitica a patre accepta, quod cum fit, Erysipelas genitalia inprimis et nates aggreditur; et aphthae, quibus in ano nascitur. Nos quidem non nisi unius infantis matrem (IV) syphilitide laborasse cognitum perspectumque habemus. Nec minus ex iis, quae nos observavimus, exemplis in uno (V) tantum aphthae Erysipelas gignere potuerunt, quamquam saepius simul cum illo conspiciebantur. Sunt etiam, qui causas ponant in perturbatis hepatis functionibus fellisque vitiis; in his *Wendtius* et *Henkius*, quorum hic inprimis eo magis in sententia sua confirmatur, quo saepius cum Erysipelate aut conjuncta sunt aut id antecedunt affectiones ictericae, aeque ac propter mutuum hepatis et cutis commercium. Imo *Jörgius* contendit, numquam sine fellis secretione aucta et assimilatione vitiata Erysipe-

---

1) *Handbuch zum Erkennen und Heilen der Kinderkrankheiten. Leipzig, 1836.*

2) *Denkwürdigkeiten in der ärztlichen Praxis. Frankfurt a. M., 1839. Bd. IV, S. 96.*

las recens natorum fieri posse, quantumvis cutis irritetur variis mechanicis et chemicis noxis. *Fuchsius* etiam ea est sententia, ut mutationes cum hepatis functionibus in recens natis factas, praedispositionem constituere existimet. Jam quod nostram sententiam attinet, illas functionum hepatis, fellis vitia et organorum assimilationis perturbationes, quae quidem haud scio an non cohaerere possint cum Erysipelate recens natorum, non causas esse putemus, siquidem eas persaepe vidimus et cognovimus, Erysipelate non orto, nisi eodem temporis momento aliae causae adessent, quae illud efficerent. — Inter ea, quae constituunt praedispositionem, momenta, haud scio an numerandi sint morbi cum omnino parentum, tum inprimis matrum, id quod, ut ita esse putemus, sequentibus commovemur. Jam ex iis quatuor exemplis, quae in lechodochio Jenensi observavimus, tria sunt, in quibus matres phlebitide et peritonitide affectae erant, neque mater infantis quarti (III) valetudine firma erat, sed, ubi peperit sanguinis profluvio et inter puerperium iterum ac saepius excoriatione papillarum vexabatur. Secundum quinque ea, quae *D' Outrepont* [1]) de induratione telae cellulosae protulit exempla, matres omnium liberorum illa affectorum laborabant Phlegmatia alba dolente additque ille: „*Höchst merkwürdig bleibt, dass gleichzeitig mit dem Kindbettfieber die* induratio telae cellulosae *bei den Kindern ausbrach. Seit achtzehn Jahren, wo ich dem Gebärhause vorstehe, ist diese Krankheit nie hier vorgekommen. Da alle Kinder, die daran erkrankten, Müttern angehörten, die an* Phlegmatia alba dolens *litten, so ist es erlaubt, anzunehmen, dass beide Krankheiten in einem ursächlichen Verhält-*

---

1) *Neue Zeitschrift für Geburtskunde. B. V, S. 471.*

nisse standen." Praeterea non est negligendum, liberos pluvium matrum, quae peritonitide et phlebitide affectae erant, Erysipelate correptos fuisse, ita ut etiam inter hunc utrumque morbum conjunctionem illam alternam esse, pro certo habere possimus. Item matres liberorum extra lechodochium morbo correptorum, aegrae atque invalidae erant, nonnullae etiam scrophulis correptae. Jam vero etiamsi ea re praedispositio tantum constituebatur, tamen intercedente alia causa, verbi gratia, constitutio epidemica, eo facilius morbus provocari poterat. —

Causae, quae e vestigio morbum efficiunt, dicuntur hae: fascia umbilico firmiter arcteque circumplicata; vis et pressio velamentorum arcte corpus cingentium; commoratio diuturna in incunabulis humidis pariter atque in siccatis nec vero rite et juste ablutis aut calidis denique nec vero siccis. Praeterea inter causas illas numerantur velamenta lanea supposita, fricatio post lavationem pannis rigidis et duris; domicilium humidum, subita temperaturae commutatio, inflammatio venae umbilicalis; praecisio funiculi umbilicalis instrumentis facta obtusis vel maculatis; pressio et tractus; infectio a matre Erysipelate mammarum laborante profecta. *Doeppius* [1]) notationibus suis de brephotropheo imperatorio Petropolitano collectis, Erysipelas ibi saepe vaccinatione commoveri contendit, putatque causam ejus rei in eo positam esse, quod lactantibus nimium mature variolae inserantur, quod tamen, ex quo tempore non jam ante diem quartum decimum fiat, rarius morbum exsistere. Idem existimat, vaccinatione transferri Erysipelas posse et exemplum profert, inter decem infantes, quibus variolae vaccinae insertae erant ab infante, in

---

1) *Medicinisch-chirurgische Zeitung* 1835. *Bd.* III. *S.* 267.

quo nonnullis horis postquam lympha demta est, id appareret, novem altero die idque locis incisurae eodem morbo correptos esse. —

Quantum nos in Jenensi lechodochio animadvertimus, nulla harum causarum, quae e vestigio morbum apparere cogunt, valebat, etenim in hoc instituto, cum inter minora numerandum sit, eo facilius non modo summa mundities domicilii pariter atque linteorum, sed etiam major diligentia in curandis fovendisque parvulis adhiberi potest, quam in institutis amplioribus. Huc accedit, quod in ipsis illis institutis minoribus rarissime, immo etiam numquam, fieri potest, ut funiculus umbilicalis vel abscindatur instrumentis obtusis et contaminatis vel prematur et huc illuc distrahatur, cum partus usque justa disciplina doctisque ducibus in lucem prodeant. Vaccinatione vel infectione a matre profecto numquam Erysipelas ortum esse vidimus.

Causas autem externas vel solas sufficere ad excitandum hunc morbum inter alia demonstrant, quae *Meissnerus* [1]) narrat, deficiente cura justa et munditie neglecta natum esse morbum. Summi autem momenti esse censeo non modo venae, sed etiam arteriarum umbilicalium inflammationem. Qua de re *Meissnerus* [2]) dicit: „*Wir haben diese Krankheit dreimal gesehen, und glauben durch einen dieser Fälle, wo wir erst am fünften Tage der Krankheit zu Rathe gezogen wurden und wo bereits die Rose am Nabel in Brand übergegangen war, berechtigt zu seyn, mit* ***Meckel*** *und* ***Osian-***

---

1) *Journal für Geburtshülfe, Frauenzimmer- und Kinderkrankheiten, herausgegeben von* ***Elias v. Siebold****. B. IV, S.* 375.

2) *Forschungen des neunzehnten Jahrhunderts im Gebiete der Geburtshülfe, Frauenzimmer- und Kinderkrankheiten. Leipzig,* 1826. *B. III, S.* 145.

der Entzündung der Nabelvene als ursächliches Moment anzuführen; denn nachdem es uns gelungen war, den Brand aufzuhalten und das Lossstossen des Nabels vor sich gehen zu sehen, so fand sich ein Loch längs des Verlaufs der Nabelvene, in welches man ein Fingerglied einführen konnte.“ Alias [1]) dicit: *„In den meisten Fällen pflegt allerdings Entzündung der Nabelvene dem Uebel zu Grunde zu liegen, was neuerlich R. Lee wieder bei der Leichenöffnung eines am Rothlaufe verstorbenen Kindes bestätigt fand.“ Henke: „Vielleicht steht die Rose da, wo sie zuerst in der Nabelgegend erscheint, auch mit der von Meckel und Osiander beobachteten Entzündung der Nabelvene in unmittelbarer Verbindung, denn man hat bei Leichenöffnungen häufig den Nabelstrang nebst dem Bauchfelle in Entzündung und Eiterung angetroffen.“* Cui quidem *Henkii* conjecturae repugnans *Wendtius* in ea versatur opinione, ut, inflammata vena umbilicali recens natorum, ulcera interdum commoveri umbilicalia putet, eaque, quamvis facile quidem impura fieri possint et contumacia, tamen nihil commune cum Erysipelate habere. *Hassius* [2]) inter ea symptomata, quae locum habent inflammata recens natorum vena umbilicali, numerat icterum, vomitum, inflammationem erysipelatosam cutis circa umbilicum. *Schöllerus* [3]) duo Phlebitidis hepaticae neonatorum (sic enim appellat) exempla narrat. Laborabant infantes alvo adstricta; abdomen inflatum non sine dolore tangi poterat; in regione hypogastrica, prope ad genitalia, Erythema

---

1) *Forschungen u. s. w. Leipzig*, 1833. *B. VI, S.* 166.

2) *Specielle pathologische Anatomie. B. I, S.* 40.

3) *Neue Zeitschrift für Geburtskunde u. s. w. B. VIII*, 1840. *S.* 264.

apparebat colore nigricante. In cadavere altero, ubi vena portae et umbilicalis transit in hepar, reperiebantur concrementa fibrosa eas circumdantia, et ex illa aperta erumpebat pus crassum, membranae vero densatae erant ramorum ipsorum subtilium ita, ut hepatis substantia durata appareret. Altero corpore aperto vena umbilicalis pariter atque hepatica densata erat et purulenta. Cujus rei utrum perturbatio quaedam in obliteranda vena umbilicali facta prima causa habenda sit, an praegressa perfrictio ad explicandam suppurationis originem sufficiat, *Schoellerus* aliis judicandum relinquit. Occasione nobis oblata duorum infantium Erysipelate mortuorum corpora aperiendi, in priore (II) Erysipelas, ubi primum in abdomine se ostendit, jam latius se diffuderat; aperto corpore reperiebatur in porta hepatis aliquid puris, vena umbilicalis colore lurido induta, item in arteriis pus crassum. In posteriore (IV) pariter primum ortum est Erysipelas in abdomine, in genitalibus et femoribus, item arteriae umbilicales erant prorsus pure refertae; in quo, quin horum vasorum inflammatione et puris formatio, causa fuerit, ut Erysipelas gigneretur, dubitari non potest. Ipsam autem illam inflammationem notandum est, non externis momentis, sicuti impressione, immunditia aliisque ejus generis rebus provocatam esse videri, sed vera causa forsitan in matre quaerenda sit. Utriusque enim infantis matres mortuae erant diebus aliquot post partum phlebitide et peritonitide, intra ipsum autem morbum mammas dederant, ita ut simul cum lacte, ad quod unumquemque matris morbum plurimam vim habere consequens est et consentaneum, etiam praedispositio inflammationum in parvulos transferretur, nisi jam inter graviditatem in matre et in foetu orta erat. In corpore matris infantis alterius aperto paene eae-

dem vasorum, quae in infante, mutationes observabantur; vasa internae arteriarum membranae sanguine completa, membrana venarum colore violaceo valde obducta; margo valvularum in utroque cordis dimidio item parvis iisque rubris pustulis distinctus, in venis plexuum pampiniformium inprimisque in propinquo tubarum purulentia ad maturitatem perducta conspiciebatur. — Nos quidem ex iis, quas ipsi fecimus, observationibus, statuamus, quotiescunque Erysipelas primum circa umbilicum et in abdomine apparuerit, illud non nisi symptoma quoddam esse et morbi causa positam esse in inflammata vena umbilicali vel arteria, provocata aut externis stimulis, sicuti impressione, immunditia etc. aut ex morbis inflammatoriis pendente. Jam si Erysipelas primum in umbilico, deinde mox in aliis corporis partibus conspicuum est, in quas non sensim migravit, causa ejus rei haud scio an repeti queat ex resorbtione puris ejusque in sanguinem transitu, cui quidem rei fidem faciunt ea inflammationis indicia, quae in vasorum systemate animadvertimus, praesertim si res ita comparata est, quomodo ex quarto, quod supra attulimus exemplo, apparet. Forsitan cohaereant cum corrupto illo sanguine etiam turbationes in pectoris et abdominis organis conspicuae, quae ad Erysipelas saepenumero accedunt. Nec minus in puerperis nonnumquam phlebitidis morbo correptis Erysipelas, scarlatinae similis, animadvertitur, aut loco quodam definitum, aut toti corporis superficiei inductum, quod item, plerumque certe, ex genitalibus proficiscitur. Morbo feliciter composito etiam epidermis se desquamat, modo autem furfuraceo; morte autem finito reperitur liquor serosus in tela cellulosa subcutanea. Quocum morbo puerperarum, scarlatina puerperalis quae dicitur, comparari poterit Erysipelas recens na-

torum, quae ex inflammatione et suppuratione vasorum umbilicalium nascitur. Etiam in iis, quae loco tertio et nono diximus, exemplis verisimile est, inflammationem vasorum umbilicalium causam fuisse. — In altero utroque infante Erysipelate mortuo (I et V) nullum pus in vasibus umbilicalibus animadvertebatur (in quibus tamen non in abdomine primum se ostenderat Erysipelas), at vero in cavo pectoris. In altero infante abscessus in superficie externa ossis ilei et purulentia crassa cum in cavo pleurae sinistro, tum vero imprimis in dextro conspici poterat. In quo certum est, Erysipelas profectum esse ex abscessu. In altero certissima deprehebantur vestigia inflammationis vasorum capillarium in pulmonibus, abscessu, qui antea aderat, omnino sanato. Item quod exempla septimo et tertio loco commemorata attinet, vestigia haud ambigua phlebitidis, quae dicitur capillaria, sub cute in locis vulgo ea correptis, in articulis et in tergo, apparebant, et exemplo nono inflammatio vasorum umbilicalium clare demonstratur. Admodum mira est pectoris affectio una cum Erysipelate apparens etiam in exemplo sexto. Qui uterque morbus utrum eodem temporis momento constitutione epidemica excitatus sit, an alia quadam causa cohaeserit, aliis judicandum relinquamus.

§. 6.

Quamdiu morbus permaneat, non in promptu est dicere, valde variante morbi modo et migratione. Etenim si non migrat, plerumque nonnullos tantum dies durat, sin migrat, per plures hebdomates protrahi potest. Ex iis, quae nos memoravimus exemplis, infantes, cum morbus letalis sit, intra primos quinque dies animam exspiraverunt; nam quod exemplum attinet quintum, mors potius affectione illa pectoris adducta erat. Morbo felici-

ter superato ad summum per quatuor hebdomates durabat.

§. 7.

Prognosis vulgo est periniqua, periculosissimus autem est morbus, si circa umbilicum primum oritur, id quod exemplis, supra commemoratis, confirmatum est, cum trium infantum, apud quos in illa regione primum apparuerat, non nisi unus servaretur. Nec minus adversa est prognosis, si Erysipelas alias abdominis partes et genitalia corripuit, quamquam aegrotantes saepius sanantur, ut supra diximus; nec periculum tantum videtur esse, ubi Erysipelas ab aliis demum partibus in illas diffusum est. Officere etiam videtur pectoris affectio cum Erysipelate conjuncta, nos certe, re ita se habente, bis vidimus mortem esse consecutam. Erysipelate celeriter disperso, nec praegressis crisibus, in interiores partes materiam morbi transiisse colligi concludique debet, quod si ita se habet res, magnum est periculum. Si cerebrum irritatum esse patet, plerumque mors brevi tempore evenit.

Contra non tam adversa est prognosis, solis extremitatibus, nec vero ceteris corporis partibus, Erysipelate tentatis, migrante autem eo, migratione nondum finita prognosis certo definiri nequit. *Heimius* numquam se vidisse, ait, infantem mori, cujus in extremitatibus incepisset inflammatio erysipelatosa et vero etiam in iis mansisset, id quod nos etiam, quoad observavimus, ita esse edocti sumus. *Fuchsius* censet, suppuratione accedente, fere semper infantes mori debere; cui tamen sententiae adversamur, cum nos ipsi, morbo felici eventu sedato, semper suppurationem accedisse et apertis, qui orti erant, abscessibus, mox valetudinem prosperam consecutam esse videremus, contra in tribus infantibus

vivis, eo morbo absumtis, nulla suppurationis vestigia deprehendi possent. Ceterum consequens et consentaneum est prognosin diversam esse prout inflammatio diffunditur, prout gravia sunt symptomata, deinde pro aetate aegrotantium eorumque externis conditionibus, morbique decursu, ubi enim morbus spatium septem dierum emensus est, plerumque felicem fore exitum sperari potest.

§. 8.

Cadaverum sectionibus ea, quae supra commemoravimus, inventa sunt.

§. 9.

De *curando morbo* tam variae exstant sententiae, quam de aetiologia, sed quamquam multa remedia allata sunt quasi certa et unicuique morbi generi convenientia, nullum tamen, ut patet, promissis respondere potest. Ars medici, etiam quod hunc morbum attinet, in eo erit cernenda, ut remedia, singulis morbi stadiis et rei praesenti apta et accomodata, inveniat inventaque adhibeat. Saepius primae indicationes nominantur: restitutio cutis functionum et evacuatio per alvum; sed cum nos, et ut existimamus, haud immerito statuamus, unicuique Erysipelati incipienti genus quoddam inflammationis inhaerere, etiamsi in breve tantum tempus, forsitan ab initio antiphlogistica medendi curandique methodus adhibenda erit, quae, prout est inflammatio, nunc gravior nunc lenior evadere debet, secretiones et excretiones autem eodem modo, quo in aliis morbis inflammatoriis adjuvandae. Calomel, quod remedium ante omnia commendatur, nobis quoque aliquoties summam praebuit utilitatem, putamusque id semper ab initio morbi esse adhibendum,

praesentibus ipsis complicationibus, cum pluribus indicationibus simul respondeat. Habet enim effectum antiphlogisticum, adjuvat exonerationem alvi et salutaris est, etiam hepar si afficitur. Aucta magis magisque inflammatione, partibus inflammatis hirudines imponi expedit; sunt etiam, ut *Billard*, qui scarificationes ab illis paullulum remotas proponerent, quas tamen *Burns* [1]) nonnisi robustis infantibus vult adhiberi, alioquin, ut putat, sanguinis profusio et ea, quae vulnera consequerentur, morbum ipsum damno superare possent. Idem calorem partis affectae aqua pura et frigida mitigare vult, opinionem praejudicatam in cutem irrigendam nullam et inanem existimans. *Bateman* primo inflammationis stadio, si calor gravis est, locis rubicundis, commendat formenta tepida, lavationes frigidas et leniter irritantes; *Hufelandus* lavationes lacte tepido factas; *Henkius* balnea tepida proponit, quae tamen *Joergius* et *Heyfelderus*, ut nocentia, rejiciunt. *Berends*, *William Dewees* aliique laudant partes illas inflammatas unguento neapolitano infricari, id quod hic imo suppurationi adhibet, ubi cutis circa partes purulentas rubra est et inflammata. Id vero non est negligendum, inflammationem, adhibitis hoc in stadio siccis vel imo etiam aromaticis et excitantibus remediis, augeri et transitum in gangraenam accelerari. Quod methodum antiphlogisticam attinet, circumspiciendum est, ut supra memoravimus, secretiones et excretiones justo modo absolvi, et hoc loco methodus, quae a multis inprimis efficax esse

---

1) *Handbuch der Geburtshülfe mit Inbegriff der Weiber- und Kinderkrankheiden. Nach der 8. Ausgabe herausgegeben von H. T. Kilian. Bonn, 1834.*

dicitur, evacuatio nempe per alvum, adhibenda est, quam tamen, non praegressa vel uno et eodem tempore adhibita antiphlogistica, tanti momenti esse haud statuamus. *Jörgius*, *Fuchsius* aliique curationis initium in emetico ponere volunt, quod tamen saepe contraindicatur, et quod vix propinari debere *Schoenleinius* existimat. Infantibus infirmis, quibus Calomel majoribus dosibus praebere non fas est, efficitur intestini exinanitio Tinctura Rhei aquosa, Syrupo Rhei, Syrupo mannato, Magnesia, Kali tartarico, Infuso Sennae aliisque ejus generis; nec vero evacuationibus nimium frequentibus aequilibrium tractum intestinalem inter et cutem turbari debet. Inter haec remedia ipsa functio cutis diaphoreticis lenibus, ut vino Antimonii, Infuso florum Sambuci, liquore Mindereri et similibus adjuvari potest, tamen haud scio an salutarius sit, nos cum *Jörgio* temperaturam aptam et salutarem conservare, quod infantem juxta matrem vel nutricem collocamus. — Nervosis affectionibus adhibenda esse dixerunt Moschum, Radicem Valerianae, Camphoram, Extractum Hyoscyami, Castoreum, Flores Zinci, sed vix crediderim medicum, qui solam in sanando rationem sequitur, remedia illa indistincte adhibiturum esse, cum affectiones illae saepe cerebri irritatione eliciantur multis horum medicaminum augenda; Opii usum repudiat *Wendtius*, *Hufelandus* jubet cum ventrem tum vero imprimis dextrum hypochondrium infricari oleo pingui cum Opio. In cutem etiam derivantia cataplasmatibus irritantibus adhibenda sunt. — Si Erysipelas justo tempore nondum exacto evanescit, desquamatione vel suppuratione vel alio quodam exitu non animadversis, statuendum est, transiisse in organa interiora, et tum reducendum est in cutem, id quod rarissime evenit, sinapismis, balneis cum Kali caustico, aliisque irritamentis. —

Suppuratio, si non impedienda est, abscessus maturandi sunt, maturatique quam primum aperiendi. At si partes inflammatae durescere aut in gangraenam se conversuras esse minantur, adhibenda sunt, etiam durante inflammatione remedia excitantia a multis commendata, ut: balnea aromatica et fomenta, aut humida aut sicca, Camphora adjuncta, vel omissa; lana ovium vel pannus laneus, sive per se adhibita, sive Camphora, Succino, Saccharo suffita. Quae si ita sunt, haud scio an sicca remedia anteponenda sint humidis, quibus facile perfrictio gigni possit.

Si inflammatio, ad summum perducta, in gangraenam transitura est, conspicuam colore caeruleo et purpureo, nec minus in cutis temperatura frigidiore, *Wendtius* mixtionem commendat Calomelanos cum Camphora, ita quidem, ut altera quaque hora aegrotantibus detur Calomelanos Gr. β et Camphorae Gr. $\frac{1}{3}$. Gangraena autem, ubi re vera accessit, optima est sanandi ratio, quam imprimis Anglici medici cum laude proposuerunt, partes affectas Spiritu Camphorae oblini. *Burns* putat, eum nocere, si dolores efficeret, adhiberique debere solutionem Zinci sulphurici et xylinum siccum. Praeterea fomenta vini, herbis aromaticis cocti, salutaria snnt, vel ex *Batemani* sententia lavationes vel acido nitroso (ʒj cum aquae ℥ XXXII) vel Natri muriatici solutione in quinque aquae partibus. Sed plerique consentiunt, fortissimum contra gangraenam remedium Corticem peruvianum esse, cujus et internus et externus usus prodest.

Quod denique *curam prophylacticam*, qualem *Heyfelderus* commendat, attinet, diligenti et accurata pur-

gatione adhibita, deinde lavatione et balneis ex aqua tepida et saponacea paratis, commoratione in sicco aëre et calido, cibo accommodato, ea omnia vix crediderim tantam vim habere, quanta ad impediendum morbum sufficiat, id quod tum demum fieri posse puto, cum immundities, cibus depravatus et aër corruptus solae causae essent.

THESES.

I.

Omnis veneni notio anceps.

II.

Inter morbum internum et chirurgicum discrimen non intercedit.

III.

Morbus una cum genere humano ortus est.

IV.

Morbi topici non sunt statuendi.

V.

Synchondrotomia prorsus reprobanda est.